Post scripta.

Rumor certus huc ad nos delatus est, Principem magnum Holsatiæ Ducem auxiliaribus copijs Moscovitæ duas arces ad Regem Sueciæ spectantes in Livonia occupasse, omnesque eos qui fuerunt partium Regis Sueciæ in ijs occidisse, ipsumque castra inde movisse ad Civitatem Revaliensem. Imperatorem Moscovitarum hunc magnum Holsatiæ Ducem Livoniæ Regem declarasse, constans est sermo. Praedictus magnus Holsatiæ dux, nomine et jussu Moscovitæ adornavit et instruxit Classem praedariam, cepitque septendecim naves ingentibus bonis et facultatibus refertas, de quibus tamen Rex Sueciæ eas recuperavit. Rex Sueciæ navem munitissimam tormentis bellicis instructam Regi Daniæ ademit, quod quidem nonnihil invidiæ et animorum alienationis in amicam illam controversiarum compositionem statim Pomeraniæ afferre potuit.

Responsum nomine Sacræ R. M^tis datum Oratoribus Illustris in Prussia Ducis Torunij die XXVIII. Novembris ANNO Domini. M. D. LXXVI.